



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 34. Commissarii ad pacem Polonos inter & Teutonicos stabiliendam  
denominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

## §. XXXIV.

Sæcul. XV.  
A C 1415.

*Commissarii ad pacem Polonos inter  
& Teutonicos stabiliendam deno-  
minati.*

Patrum Constantiensium cura etiam cir- *Vander*  
ca alia occupabatur negotia. *Hardt to. 2o*  
Dissidia quippe Teutonicos inter, & Polonos, *p. 170.*  
eorumque vicinos obversantia non pa-  
rum Synodi Prælatos fatigabant. Ad hujus  
itaque causæ discussionem nominantur  
Commissarii. Ladislaus enim Jagello  
Poloniæ Rex, & Alexander Witholdus  
Magnus Lithuaniae Dux ad universos  
Christi fideles dabant Epistolas, conque-  
sti, quod Equites illi, spretis omnibus nu-  
peræ pacis conditionibus, continuis ve-  
xationibus Polonos premerent. Sigis-  
mundus quidem ex eo tempore, quo ad  
Imperii solium euectus fuerat, inter Equi-  
tes & Polonos conciliandæ pacis aucto-  
rem se interponebat, factæque sunt indu-  
ciæ, imo & juramento firmatæ, attamen  
Equites pactam fidem fregerunt primi,  
fatis ejusmodi perfidiis assueti. Ergo  
compulsi erant Ladislaus & Witholdus  
ad auctoritatem Concilii recurrere. Nec  
tamen tunc temporis opportunius adhi-  
beri poterat remedium, quam quod Car-  
dinalis Zabarella, & ex qualibet Natione  
duo nominarentur Deputati, ut hæc  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI. D* dissi-

Sæcul. XV. diffidia ad examen vocarent, quæ tamen  
 A.C. 1415. non nisi longo ex post tempore sopita fuere.

## §. XXXV.

*Sessio nona.*

*Labb. Conc. tom. 12. p. 52.* Die decima tertia Maji celebrata est  
 Sessio nona. Post Missam solemnem, sermonem, precesque consuetas, Benedictus Gentianus Benedictinus, legit Universitatis epistolam ad Synodum & Imperatorem directam, in qua eos ad unionis negotium, insuperhabita Pontificis fuga, strenue prosequendum adhortatur. Absoluta hac lectione Antonius de Piro, & Joannes de Scribanis Concilii Promotores assurgebant, horumque primus verba faciens, postulabat, ut ex eo, quod Joannes Papa vocatus, unacum suis fautoribus nec per se nec per alios comparuisset, adversus eum judiciaria institueretur actio, simulque ad instituenda judicii acta nominarentur Commissarii; insuper proposuit, Patres legum necessitate obstringi, ut Papam ab omnibus Pontificatus sui functionibus suspensum declararent, si iterato ad valvas Ecclesiæ more consueto citatus fuisset. Ad hæc Cardinalis Florentinus assurgens dixit, Papam ad quosdam Purpuratos misisse cessionis mandatum, eoque ex illis tres ablegasse Procuratores nomine suo coram